

Johann Festing

Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Festingius, De Componenda Ad Angelorum Sanctitatem Vita Humana In Amore & pietate erga Deum, Secum Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos studiose adhortatur atq[ue] excitat [P.P. Sub Sigillo Rectoratus, ipso die Michaelis Anno MDCXC]

Rostochi[i]: Wepplingius, 1690

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734002769>

Druck Freier  Zugang





T. 512.

1690. Mich.

~~M-1256.~~⁶²

Mich. 1690

PROGRAMMA
QUO
RECTOR
UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS
JOHANNES FE-
STINGIUS.



De
COMPONENDA
Ad

ANGELORUM
SANCTITATEM

VITA HUMANA

In Amore & pietate erga Deum,

*Secum Omnes Omnium Ordinum Cives Academicos
studiosè adhortatur atq; excitat.*



Rostochi Typis JOHANNIS WEPPLINGII,
Academ. Typograph. 1690

M. 1256⁶²



Agna vox est, qua in-

ter homines beatitudinis futuræ ac
cœlestis celebratur gloria. Omnes
quotquot novimus, imò quos
terrarum ferri amplitudine consi-
deramus, non alia spe foveri posse
meliori, ex tot gentium doctrina
quæ cœcitates suas supergressa est,
latere non potuit. Equidem vita ta-
men hæc nostra quæ in terris est, in
quâ præparari hanc naturam cœlis

aptam, atque instrui omnes prorsus facti sunt, in virtutibus
transigenda visa est: ubi, quò firmiora quicquid sua argumenta esse
opinati sunt, eò magis ante mortem virtutum viam putarunt esse
sibi perquam necessariam. Quid autem nobis Christianis
non laborandum est, qui non virtutes humanas gentili-
um instar in externis tantum coloribus exhibere sed internam
bonis præceptis & ex toto corde & tota mente Domino DEO
nostro obedientiam offerre ipsius pietatis doctrinam esse novimus?
Sanè omnium eò confessione tendimus, ubi oculi non vident, nisi
patrem luminum, nisi lucem de luce, nisi candorem lucis
æternæ; aures non audiunt, nisi laudes DEI sanctissimas; nares
non respirant, nisi odores vitæ: manus nil contrectant, nisi ver-
bum vitæ: pedes non incedunt, nisi per viam pacis: Imò
gustus gustat quàm suavis sit Dominus. At eheu! quotusquis;
hominum est qui dum cogitat, verè cogitat! In verbis pietas
exhalat omnis. Quis hodie non videt homines gigantum si-
miles, contra quàm est in monitis *Ambrosii de Noe & Arca lib.*
cap. 4. cultui studentes carnis suæ, animæ autem nullam cu-
ram habentes: sicut illi qui de terra secundum Poeticam fabu-
lam orti mole corporis sui freti feruntur habuisse contemptum
superorum. An enim (merito quærimus cum S. Patre) dispa-
res æstimandi sunt, qui cum ex anima consistant & corpore,
mentis vigori (quo nihil habet anima pretiosius) ad versan-
tur, & se carnis hujus imitatores velut maternæ exhibent sto-
liditatis heredes? Itaque (ait idem) in vanum laborant, cœlum vo-
tis

tis usurpantes superbis & terrenis operibus incubantes, qui electione inferioris & contemptu superioris consortii tanquam voluntariis obnoxii peccatis graviore condempnantur severitate. O quam verum hodiernis moribus & debito zelo expungendum malum est quod accusat *Guarricus Abbas Igniacensis Serm. 4. de Epiph. domini*, ubi: *Totus ferè mundus consuetur, inquit, verbis se nosse Deum, factis autem negat: adedut & qui speciem pietatis videntur habere, virtutem ejus sepius inveniantur propemodum abnegare. Quid putatis autem fratres mei, quos in hoc significare voluerim, quos scilicet dicam pietatis habere speciem, sed abnegare virtutem? Si illos qui spatiosam viam seculi ambulant intelligitis, quid illi vel de sola præsferunt pietatis specie, qui solo nomine Christiani, atq; in vacuum assumentes nomen sanctum Christi totâ ac liberâ professione sectantur qua huic inimica sunt nomini, qui omni specie conversationis & modo vita se protestantur inimicos crucis Christi? Hæcine est species pietatis quam in eis videmus, habitus & incessus meretricius, sermo scurrilis, oculus impudicus, venter qui pro Deo colitur, & omni vicia contumelia, qua publica & gloriabunda velut in faciem pietati irrogatur? Sane Angelorum custodiam nobis esse salutarem maximè, satis ex scripturâ sacrâ testimoniis edoctis sumus. Aded, quemadmodum Ambrosius loquitur in *Psalm. 37. tom. 2.* Angelis protectionis excubias relaxantibus insidiantur inimici, quærentes in anima ejus invenire quod noceat. Tunc enim (ita pergit mellitissimus auctor) potestas illis gravioris tentationis permittitur cum culpa animæ gravior reperitur. Ergo bene perpendendum quod iterum ait Ambrosius in *Evangel. Luc. c. 15.* Hoc quoq; proficit ad incensiva probitatis si unusquisq; conversionem suam gratiam fore credat cæcibus angelorum, quorum aut affectare patrociniûm aut vereri debet offensam. Quinimò sicut justis aspectus admonitio correctionis est: ita maximè in Angelis, tantis nostris præsidis, animadvertendum erat, quâ nobis præluceant sanctitate ac justitia, & quâ correctione expurganda sint vitæ nostræ vitia cum tanto digni habeamur consortio. Enimverò ad eandem nos hereditatem cum Angelis vocati sumus; O superba illa gaudia, gaudia, quæ hominis supergrediuntur intellectum*

jectum, & plusquamperfectissima, imò in divinitatis gratia, in Deo ipso sunt Quali! mente huc pergendum sit, abs sanctis Angelis discendum est, quibuscum ad eundem sanctitatis fructum destinati ad eadem nec minus ejus studia instructi & parati esse debemus. De Angelis prorsus sacra loquitur scriptura, quòd adsistant coram Deo, laudent, & glorificent ipsum semper parati ad exequenda ipsius mandata. *Dan. 7. v. 10. Esa. 6. v. 1. Apoc. 5. v. 11. Psal. 103. v. 20.* At quantopere promptos se & paratos præbent ad glorificandum Deum suo obsequio! Id colligimus ex imaginibus alatis, quibus populo Israelitico, Esaia, itemq; Ezechieli representati sunt *Ex. 25. 1. 1. Reg. 6. 23. 29. Esa. 2. 6. Ezech. 1. 7.* Colligimus inde, ubi ut exercitus, milites accincti ad prælium, equites & currus ignei apparuerunt, ad notandum præsentem affectum & celeritatem atq; alacritatem in exequendis Dei mandatis *Gen. 32. 1. 2. Reg. 6. 17.* Qua ratione memoranda verba sunt Guilielmi Abbatis S. Theodorici Script. secul. XII. de Amore Dei, ad Deum: Is autem, constat, ait, etiam beata illa Seraphim, que à vicinitate presentie tue & claritate visionis tue, ardentes interpretantur & sunt, plus amare te quam aliquem qui minor est in regno celorum. *Qui si in regno celorum non dicam minimus, sed nonnullus est, utiq; desiderat amare te quantum ab aliquo vel potes amari vel debes: & hoc forsitan est in quod desiderant Angeli prospicere.* Equidem ignis appellatione Angeli & omnia ferme divina consignantur; ita enim ignis instar ex rebus terrenis loca superiora appetere & persequi, cælumq; desiderare illum oportet cui tanta & superna hereditas in divina gratia est. Magno semper opere prospiciendum erit, quò ad primam, hoc est, rectam materiam, quæ est omnium clarissima & limpidissima, componamur, in quam radii solis divini distributio (ut est, in verbis quæ creduntur esse Dionys. Areopagite) recta aptaq; divisione incidit, ac per eam evidentiùs splendorem suum diffundit. At everrenda crassior materia, in quam incidens obscurior ejus splendor, qui diffunditur, apparet, propterea quòd materia illustrata! minus
apta

apra sit ad diffusionem luminis. Prima regula est, ut audiat
Israel: DOMINUS DEUS NOSTER DEUS UNUS EST. Di-
ligendus Deus noster ex toto corde nostro & ex tota anima no-
stra & ex tota fortitudine nostra. Bene *Ambrosius* circa *Psalms.*
118. ubi: *cantabiles mihi erant justificationes tuae*; monet, quod sa-
tis non sit, ut aliquis cantabiles habeat justificationes Dei, nisi
terrenarum exuat se vitio sollicitudinum. O inanis amor, &
nullus amor, nisi tribulationem carnis non sentiant, servitu-
tem ignorent, à mundanae cogitationis ableventur contagio,
divinis rebus mentem intendant, ut tanquam exuti corporis
infirmirate, non quæ hominis sunt, sed quæ Dei sunt, cogitent.
Ita pariter *Ambros. in hortat ad virgin. tom. 4.* Quinimo ad hanc
coelestem militiam apparatus, & studiosam in paranda puritate
amoris recti diligentiam optimè deliniare visus est *Aurel. Cas-*
siodorus lib. d. Anim. c. 18. cum de bonis ita: *Carnem illam ex-*
pugnatricem humani generis per quietem debellant: viatrices sui
sunt, dum studentes constantia vivo corpori mortem delectantur in-
fligere. Va autem carni, qua hic superata non fuerit. Nam qua
in hac conversatione vincitur, illic sine dubio coronatur. Sic sancto-
rum anima (pergit) adhuc in isto seculo commorantes, dum longa sunt
habitationis contrarietate distracta, tamen bonis Angelis videntur esse
contives, & jam ex magna parte consortes. Hæc via ad Deum est,
ubi non religionis reverentia, quæ in arca fœderis Israelitis erat,
sed major consideranda est: ubi ad sacrosanctum lateris Christi
vulnus ostium scilicet Arcae quod factum est in latere accedi-
mus. Hic mittimus digitum non tantum (quod loquor cum *Guil-*
helmo Abbate S. Theodorici de Amore) vel totam manum; sed
toti intramus usque ad ipsum cor Jesu, in sanctum sanctorum,
in Arcam Testamenti ad urnam auream, nostræ animam huma-
nitatis, continentem intra se manna divinitatis. Sed quali
nunc amore procedendum est ad altissimum divinitatis do-
micilium? Ibidem prorsus igni comparata esse debet chari-
tas, ut sicut ignis imperiosè ferrum quasi ignem, ita charitas red-
dat animam quam possidet. *Ambros. lib. d. lign. vita c. 3.* Bene in-
ter alios monet *Aëlredus in compendio speculi charitatis cap. 25.*
Non secundum momentaneos affectus Dei æstimandum amo-
rem

rem, sed potius secundum continuam ipsius voluntatis huma-
næ qualitatem: suamque voluntatem Dei voluntati conjungen-
dam esse, ut quælibet voluntas divina præscribat, his voluntas hu-
mana consentiat; ut nulla sit alia causa, cur hoc aut illud velit,
nisi quia hoc Deum velle cognoscit: Hæc constantia, hic ap-
paratus Angelorum est. Sed laudant Angeli Dominum, psallunt
ei potestates cœlorum & ante ipsum initium mundi Cherubim
& Seraphim cum gravitate canoræ vocis, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*.
O cantemus igitur Domino Deo nostro! Quam qui-
dem in rem audiendus erit Ambros. qui libr. 3. Epist. tom. 5.
*Qui in illam, inquit, se laudem induerunt, hymnis dies & noctes per-
sonant. Hac nempe angelorum militia est (pergit) semper esse in
Dei laudibus, orationibus conciliare crebris, atque exorare Dominum
studens, lectione vel operibus continuis mentem occupant, separati
à cœtu mulierum (malorum) sibi invicem curam præbent custodiam.*
O duram hodierni temporis conditionem: imò dixerim o du-
ram barbariei nostræ miseriam! Hæcine est Angelorum
imitatio cum de mundo solliciti vix Christi nomen ore pro-
loquimur nec debito studio ac diligentia quærimus: Ecce fidelis
anima non in cubili tantum quæsit, sed surrexit & abiit in civi-
tate: quæsit & invenit quem dilexit, ubi oleum venditur, quod
expectantes Sponsum emere consueverunt. Felicissimus, qui
sanctus & timens Dominum: Hic nescit aliud considerare
(quod ait *Ambros. in Psalm. 118.*) nisi salutare Dei, quod est Jesus
Christus: illum concipit, illum desiderat, in illum totis intendit viri-
bus: illum gremio mentis fovet, illi se aperit & effundit, & solū hoc
veretur illū amittere. Is sane proximus Angelicæ sanctitatis imita-
tione ad sanctissimum Deum nostrum accedere videtur, si con-
iuncta primū anima (quod ait *Aponius scriptor antiquus in Can-
tica Cantorum lib. 3.*) Dei verbo fuerit, introducta in intelli-
gentiam legis discurrendo per singulos apices scripturæ, & sin-
gula vasa cellæ vinariæ, divinorum librorum degustando sa-
pores, quasi inebriata lætitiæ vino, semper beatitudinis, cum
ad eam tardè perveniat, dicit se amore languere. vid. *Psal-
41. & Philipp. 2.* Ex sententia *Smaragdi Abbatis diadema. Mona-
chor. Cap. 87.* beatus ille est ac per gradus Angelorum ad cœlos
per


pergere videtur, qui habuerit odio hunc mundum & tantum-
 modò meditatio ejus fuerit in Deo: qui execratus fuerit pec-
 catum & malitiam, & Deum solum benignum & pium di-
 lexit Redemptorem, & castos jugiter & sanctos habuerit
 cogitatus: qui ab omnibus pollutis cogitationibus fuerit emun-
 datus, & non fuerit in mundi istius actibus implicatus; sed ex
 integro liber in Domino, ab omnibus mundi istius negotiis
 vanissimis liberatus: qui ambulaverit in via mandatorum Do-
 mini, & in sanctis operibus jugiter conversatus, immaculatam
 servaverit animam: qui in bonis operibus quotidie per san-
 ctam creverit disciplinam habens in Domino spem certam, ut
 videat eum in claritate sua, regno & gloria: qui meminerit
 præcepti Domini & mandata ejus sollicitè custodierit, ut o-
 peretur & vivat in iis: qui posuerit custodiam ori suo & ostium
 circumstantiæ labiis suis, ut non declinet in verba malitiæ.
 Certè hoc modo cunctis patet fidelibus, sicut dicit *Richardus Pam-*
opolitanus Eremita d. Amore summ. & singul. quod verus amor hu-
 manam mentem divinæ majestatis capacem efficit. Quia se-
 cundum quod dicit Apostolus: Deus charitas est, & qui ma-
 net in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. O ingentem
 & claritate Solis clariorem Dei in amore hoc tali apparitio-
 nem! Venit Deus ad hominem, dum homo venit ad Deum: Tan-
 ta cordis illuminatio est, ut repetendum: Domine bonum est
 nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula: fidei unum, spei
 unum, amoris unum. Ita *ap. Guisilhelm. Abbat. libell. d. amor* Atta-
 men sicut pius Abbas non immeritò queritur, quòd repente
 cadat in terram quasi mortuus, & respiciens nihil videat, & se ubi
 erat inveniat, in dolore scilicet cordis & afflictione spiritus:
 Ita ulterius cum Fulgentio non immeritò peccata nostra men-
 tesq; tantis ex divinitate in nos beneficiis tantoq; mutuo
 amore admodum indignas consideramus seriòq; pronunciamus:
Proinde gemamus & fleamus coram Domino, qui fecit nos, ut à concupi-
scientia carnis, & à concupiscentia oculorum & superbia seculi qua
non est ex patre, sed ex mundo est, liberet nos & ad illam nos sub-
jectionem perducatur, in qua nobis nihil repugnet ex mortalitatis vi-
sio, sed ex immortalitatis dono totum quicquid in nobis est, fiat sub-
ditum

ditum Deo. Tunc enim erit in nobis vera, perfecta, & excelsa hu-
militas, cum & in carne & in mente nostra, nulla remanserit
prava cupiditas, nec cogitationibus fatigabitur spiritus, nec labori-
bus macerabitur corpus, nulla erit sollicitudo certaminis, sed per-
fecta erit securitas pacis, nulla nobis erit iustitia indigencia, sed
cum dilectione securitas plena. Ibi enim erimus perfecta celsitudi-
ne beati, qua perfecta erimus Deo carnis & spiritus humilitate sube-
jecti. Ibi nec minor erit laudatione nostra dilectio, nec inferior
dilectione laudatio. Erit enim plena nostra laudatio, quia tunc in
nobis erit DEI proximig, perfecta dilectio. Tunc laudabimus & ha-
bebimus, tunc habebimus & amabimus, tunc satiabimur
cum delectatione, & delectebimur cum satietate.

PP. Sub Sigillo Rectoratus ipso die Michaelis
ANNO MDCXC.



pergere videtur, qui habuerit odio hunc mu-
 modò meditatio ejus fuerit in Deo: qui ex-
 catum & malitiam, & Deum solum ben-
 lexit Redemptorem, & castos jugiter &
 cogitatus: qui ab omnibus pollutis cogitatio-
 natus, & non fuerit in mundi istius actibus
 integro liber in Domino, ab omnibus mu-
 vanissimis liberatus: qui ambulaverit in via
 mini, & in sanctis operibus jugiter conversat
 servaverit animam: qui in bonis operibus
 ctam creverit disciplinam habens in Domini-
 videat eum in claritate sua, regno & glori-
 præcepti Domini & mandata ejus sollicitè
 peretur & vivat in iis: qui posuerit custodiam
 circumstantiæ labiis suis, ut non declinet.
 Certè hoc modo cunctis patet fidelibus, sicut
politanus Eremita d. Amore summ. Et singul. quo-
 manam mentem divinæ majestatis capacem
 cundum quod dicit Apostolus: Deus chari-
 net in charitate, in Deo manet, & Deus in
 & claritate Solis clariorem Dei in amore
 nem! Venit Deus ad hominem, dum homo ve-
 ta cordis illuminatio est, ut repetendum: De-
 nos hic esse; faciamus hic tria tabernacula:
 unum, amoris unum. Ita *ap. Guilhelm. Abbat.*
 men sicut pius Abbas non immeritò queri-
 cadat in terram quasi mortuus, & respiciens non
 erat inveniat, in dolore scilicet cordis & a-
 Ita ulterius cum Fulgentio non immeritò pe-
 tesq; tantis ex divinitate in nos beneficiis
 amore admodum indignas consideramus seri-
Proinde gemamus et fleamus coram Domino, qui fi-
scientia carnis, et à concupiscentia oculorum et
non est ex patre, sed ex mundo est, liberet nos
jectionem perducatur, in quâ nobis nihil repugn-
no, sed ex immortalitatis dono totum quicquid



the scale towards document

una-
 pec-
 m di-
 uerit
 nun-
 ed ex
 gotiis
 Do-
 atam
 san-
 m, ut
 nerit
 ut o-
 rtium
 litia.
 Pam-
 hu-
 ia se-
 ma-
 ntem
 ritio-
 Tam-
 m est
 spei-
 Atta-
 ente
 se ubi
 ritus:
 men-
 utuo
 amus:
 ncupi-
 li qua
 os sub-
 itis vi-
 at sub-
 ditura